

THESES
EX
HISTORIA PRAGMATICA
ET
JURE PUBLICO
IMPERII ROMANO-GERMANICI

QUARUM PROPUGNATIONE
REVERENDISSIMI AC CELSISSIMI
PRINCIPIS
DOMINI DOMINI
AUGUSTI
EPISCOPI SPIRENSIS, ECCLESIAE PRINCIPALIS
WEISSENBURGENSIS PRÆPOSITI, S. R. I. PRINCIPIS,
COMITIS DE LIMBURG STIRUM &c. &c.


EPHEBUS
D. L. B. FRANCISCUS DE ASBECK,
PRÆSIDE
CHRISTOPHORO MÆHLER,
CONSILIARIO ECCLESIASTICO ACTUALI ET SIGILLIFERO, NEC NON
SACELLANO AULICO,
EPHEBEUM SUUM
CORONABIT IN PALATIO EPISCOPALI
BRUCHSALÆ DIE 23. OCTOBRIS ANNO MDCCLXXX.

REVERENDISSIME
AC
CELSISSIME
S. R. I. P R I N C E P S
D O M I N E D O M I N E
CLEMENTISSIME!



Coniuncta principali TUÆ Clementiæ Excelſitas animi, quæ minima etiam non aſpernatur munera, dummodo magnus ſit, quo illa offeruntur, adfectus, me audacem reddit, ut ad ſacratiffimum TUUM ſolum has theſes, levidenſe quidem munus, ſed maximo cum grati animi adfectu depositurus accedam. Eximiam gratitudinis teſſeram expoſcerent beneficia TUA in me collata ampliffima, ſed in tenuitate mea non invenio aliam, quam in ſcientiis per TE in me derivatis.

TUO gratioſiſſimo juffu poſt imbibitas in ſeminario hujate litteras humaniores & Logicam ac Metaphyſicam, theſesque ex his deſenſas, pl. R. D. ANTONIUS SCHMIDT, qui CELSITUDINI TUÆ a Conſiliis intimis eſt, Jus Eccleſiaſticum tum Publicum, tum privatum una cum Hi-



T H E S E S
 EX
HISTORIA IMPERII ROMANO-GERMANICI
PRAGMATICA
PER XIII EPOCHAS.

I. EPOCHA.

Ante Christum natum.

1. Faciem Germaniæ ante Christum natum cum reflectionibus in statum Religionis, Jus publicum & privatum D. Def. conspiciendam dabit.

II. EPOCHA.

Post Christum natum usque ad Clodovæum.

2. Exortas Alemanorum, Francorum, Frisonum, Saxonum, Thuringorum, Slavorum, aliorumque populorum Confœderationes & emigrationes enarrabit.
3. Ortum Religionis Christianæ h. t. & fundatas sedes Episcopales cum crisi exponet.
4. Circa statum publicum, rem Feudalem, Militarem & Oeconomicam notanda explicabit.

storia ejusdem juris me docuit, ex quibus eodem Præside quatuor abhinc mensibus in Palatio TUO hujate mihi defendere licuit. TUO gratiosissimo Jussu CHRISTOPHORUS MÆHLER Sacellanus aulicus superiore anno Jus Naturæ & Gentium una cum speciosissima Algebra mihi tradidit, ex quibus Theses mense Septembri propugnavi. Idem hoc anno mihi Institutiones Justinianæas una cum Institutionibus totius Matheseos puræ prælegit, ex quibus ante anni dimidium specimen edidi. Idem mihi discendi semitam in Jure Publico Imperii Romano-Germanici monstravit, ex quo hæc Corollaria ad Defensionem accinctus humillimus exhibeo.

Per TE in me profecta & TUA ergo sunt, quæ offero: sed quemadmodum Deus grata habet munera a se data, quæ mortales cum grato animo illi offerunt, ita PRINCEPS CLEMENTISSIME per TE accepta & TUA non aspernabere, quæ ad TE demississima cum gratiarum actione refero, seros TIBI annos, ac felicissimum Regimen adprecans, me totum TUIS servitiis devovens, & ulterioribus TUIS favoribus ac gratiæ me enixe commendans

REVERENDISSIMAE
CELSITUDINIS TUAE

III. EPOCHA.

A Clodovæo usque ad Carolum M.

5. A Clodovæo quomodo fundatum sit Regnum Francicum;
6. Quæ Religio incrementa per fundatos Episcopatus & Abbatias cæperit,
7. Quomodo res Regni in comitiis fuerint tractatæ;
8. Quænam fuerit Feudorum & Regalium ratio;
9. Quænam Legum & rei Judiciaræ Conditio;
10. Quomodo Regnum in gentem Carolingicam pervenerit, dilucidabit.

IV. EPOCHA.

A Carolo M. usque ad Ludovicum Germanicum.

11. Hac ætate quibus victoriis Regnum, quibus Episcopatibus auctæ sint Ecclesiæ;
12. Quid Juris contulerit resuscitata Imperatoris Dignitas;
13. Quænam Comitiorum, Feudorum, Allodiorum, nec non Judiciorum ratio, exponet D. Def.

V. EPOCHA.

A Ludovico Germanico usque ad Henricum I.

14. Hoc tempore, quomodo Pacto Virodunensi Germania novam separati Regni naturam acceperit;
15. Quænam evenerit feudorum, & vasalliticæ obligationis mutatio;
16. Carolingis decedentibus, quod manserit prior regiminis forma, cum rationibus criticis patefaciet D. Def.

VI. EPOCHA.

A Henrico I. usque ad Conradum II.

17. In hac Epochâ ad Regnum Germaniæ Lotharingia reducitur.
18. Regno Germanico Imperium adnectitur.
19. Ecclesiæ amplissimis Privilegiis & Regalibus dotantur, Episcopi dignitatibus & titulis ornantur.

20. Nec

20. Nec non Laicorum Procerum potestas insigniter aucta fuit.
21. Feuda Majora, Aulica, Judiciaria, & Præfectoria, & Militaria, tum Minora aulica & militaria inclaruerunt.

VII. EPOCHA.

A Carolo II. usque ad Lotharium Saxonem.

22. Hac Epochâ Burgundia & Regnum Arelatense Imperio adjectum fuit.
23. Genarchæ plures modernarum Domuum Serenissimarum inclaruerunt.
24. Episcopi præter regimen sui territorii ordinariam sacram Jurisdictionem in personalibus & realibus exercere jure officii in vicinis etiam Ecclesiæ suæ territoriis perrexerunt.
25. Majestas Regia sub Henrico IV. per varias Vicissitudines decrevit.
26. Terræ Imperii potissimum in 4. Classes erant divisæ.
27. Jus voluntarium seu Austregæ invaluerunt Judicio Principum non satisfaciente.
28. Donatio Comitissæ Mathildis inter Pontifices & Imperatores litium segetem peperit.
29. Comitum Gubernatio in Pagis exeunte Seculo XI. desit.
30. De Comitum & Dynastarum, seu Baronum, de Nobilium & Ministerialium statu;
31. De Officiis aulicis, præfectoriis, & militaribus memoranda proferet D. Def.
32. Demum de Conventu Wirceburgensi, & Concordatis Calixtinis notatu digna pronuntiabit.

VIII. EPOCHA.

A Lothario Saxone usque ad Rudolphum Habsburgicum.

33. Hæc Epochâ territoria plura in alias domus transfert;
34. Collegii Electoralis initium continet;
35. Prima Vicariatus Imperii vestigia indicat;
36. Superioritatem territorialem firmat;

37. Va-



37. Varias LL compilationes in Germania notas, & alienis ex terris in eam introductas memorat.
38. Jus manuarium invalescens, autoritate judiciaria oblanguescente, monstrat.

IX. EPOCHA.

A Rudolpho Habsburgico usque ad Carolum IV.

39. Hac ætate consensum Electorum in causis majoribus requirebat Imperator: prima unio pro defensione Jurium Imperialium & Electoralium inter Electores celebratur.
40. Principatus, Dignitates, & Jura bonis nonnisi feudalibus annexa erant.
41. Partitiones totales, (todtheilungen) inter illustres in usu fuisse legimus.
42. Initium Archi-Cancellariatus per Regnum Aretalense in Electorem Trevirensem translatis deprehendimus.
43. Comitatus Colonienfis Civitates Imperiales suffragantes memorant.
44. Ex verborum tenore, quibus Comes Hennebergensis in Comes Principibus proximos gefürstete Grafen evecti sunt, innotescit, Principum jura fuisse, in comitiis suffragandi, & leges pro subditis ferendi.

X. EPOCHA.

A Carolo III. usque ad Albertum II.

45. Hic memoranda est Aurea Bulla sub Carolo IV. Lex Imperii fundamentalis.
46. Sub Sigismundo notandum est Concilium Constantiense.
47. Origo Expectatarum, Reservationum, & Annatarum & harum fata narrantur.
48. Jura Imperatoris, Electorum, & reliquorum statuum propria determinantur.

XI. EPOCHA.

Ab Alberto II. usque ad Carolum V.

49. In hac epocha Concordata Nationis Germanicæ cum Sede Pontificia;



50. Pax Publica, in Comitibus Wormatiensibus erectum Archi-Diasterium Camerae, ejusque hucusque fata;
51. Divisio Germaniæ in Circulos, & hujus Divisionis causa & finis;
52. Regimenti Imperii ortus & occasus;
53. Unio Electorum Rhenanorum Gelnhusiana;
54. Nova Comitiorum habendorum ratio & forma declarabuntur.

XII. EPOCHA.

A Carolo V. usque ad Leopoldum M.

55. In hac Epochâ Capitulationis hodiernæ Origo;
56. Unio Electorum Wormatiensis;
57. Matricula Imperii accuratior definita;
58. Transactio Passaviensis & Pax Religiosa;
59. Nominatissima Pax Westphalica & per hanc tum in Ecclesiasticis, tum in politicis facta mira Metamorphosis;
60. Exorta in comitiis mutatio, dum novi Principes creati, & admissi, tum Prælatorum & Comitum Suffragia aucta sunt, exponentur.

XIII. EPOCHA.

A Leopoldo M. usque ad Josephum II. gloriosissime regnantem.

61. Quid Pax Neomagensis;
62. Quid Ryswicensis;
63. Ultrajectina & Baadensis, Dresdensis & Wratislaviensis cum Rege Borussiae in Imperio mutaverit, expromet D. Def.
64. Fata Sanctionis pragmaticæ enarrabit.
65. Quid ansam posteriorum in Imperio Bellorum præbuerit, & quid pace Hubertsburgica & Tescheni sancitum, pandet.
66. Sub Gloriosissimo Regimine Josephi II, quam bene cæpta Visitatio Camerae, quo ordine per octo annos protracta, quibusque ex causis rupta declarabit D. Def.



EX

JURE PUBLICO REGNI ET IMPERII ROMANO-GERMANICI.

1. Initium Juris publici Regni Germanici ducitur a Pacto Virodunensi anno 843, Imperii autem Romano-Germanici ab Ottone M.
2. Minus recte illud quidam ducunt ab Arnulpho aut Conrado I.
3. Imperium quatuor regna comprehendit, Germanicum in Specie, Italicum, Lotharingicum, Burgundicum, diverso tamen nexu cum Germanico conjuncta.
4. Fines Regni Germanici statuet D. Def. enumerando terras a Germania & Imperii nexu solutas.
5. Ex Principiis juris gentium deducet Jus supremum Imperio competere adhuc in plura territoria, in quibus cum possessione & jus ipsum alieni Principes sibi afferunt.
6. Speciatim suum judicium de Frislandia, Silesia, Lusatia, Prussia, Estlandia & Revalia proferet.
7. Hodiernum Provinciarum Regni Lotharingiæ habitum ad Imperium exponet.
8. Quæ regiones ex Regno Burgundico ad Imperium hodie adhuc spectent, cum crisi proferet.
9. Jus habet Imperator in Imperium Romanum, non tamen in territorium & urbem romanam.
10. In quas terras e Regno Italico Jus fit Imperio, D. Def. determinabit.
11. Imperium Romano-Germanicum non est Systema Civitatum, sed una Civitas aut respublica.
12. Jurisdictio in Imperio omnis a solo Imperatore profluit.
13. Ita tamen modo in status divisa est, ut inde existat forma Regiminis Monarchica, Aristocratia & Democratia temperata.
14. Imperator nemo alius eligi potest, nisi Romano-Catholicus.

15. Prin-



15. Principes Electores eligunt nomine totius Imperii & omnium statuum jure tamen proprio, item virtute & principatum Electoralium.
16. Jus ad capitulandi præter Electores etiam reliquis statibus tribuendum videtur.
17. Sede Moguntina vacante jus convocandi Electores non competit Capitulo, hinc ejus legatus ad Electionem non admittitur.
18. Elector tamen non confirmatus, & Secularis nondum investitus vocari & admitti debent.
19. Imperator omnium temporalium Principum in orbe Christiano supremus & Princeps est: hic Ideam Imperatoris cum duplici respectu ad finem pure temporalem ac civilem & sacrum ac Spiritualem D. Def. conspiciendam dabit.
20. Restrigitur Potestas civilis Imperatoris per Capitulationes, quæ minus strictè sumtæ recte dicuntur Germaniæ coævæ.
21. Strictè sumtæ non nisi a Carolo V. originem ducunt.
22. Imperatori competit Jus Provocationis supremæ, cui negamus simpliciter præscribi posse.
23. Solus itidem Imperator sententiam dicit in Causa feudi Regalis, exclusis Austregis & Camera.
24. Ad ejus non nisi tribunal pertinent Causæ statuum & immediatorum criminales.
25. Appellatio a Cæsare male informato ad melius informandum nulla est.
26. Multo minus tenet provocatio a Cæsare male informato ad eundem melius informandum, & totum simul Imperium.
27. Utraque tamen rejicienda non est omnino, si per modum supplicationis aut memorialis instituat.
28. Executionem sententiarum contra immediatos laterum tamen tenetur demandare circulo cujus membrum est exequendum, Imperiator.
29. Hic genuinam Reservatorum Cæsareorum notionem D. Def. dabit.

B 2

30. Ro-



30. Romanorum Regi competere quidem propriam potestatem admittimus, sed ita tamen, ut gesta ab illo nonnisi post Obitum Imperatoris effectum fortiantur.
31. Injuria negatur Regi Romanorum prærogativa præ reliquis omnibus Christiani Orbis Regibus.
32. Vicarii Imperii throno vacante de feudis regalibus cognoscere possunt.
33. Jura Vicariorum antiquiora sunt A. B. Tit. 5.
34. Jura, quæ hodie exercent Vicarii, non omnia illis competunt ex A. B. sed partim ex observantia.
35. Vicarii in exercendis suis juribus probabilius sunt adstricti ad Capitulationem Cæsaream.
36. Iisdem Vicariis jus indicendi Comitiam, aut ea continuandi competere non videtur.
37. Institutio Archi. Officialium Imperii originem ducunt è regno Francico seu a Carolo M., fuitque initio arbitraria.
38. Post Carolingicos Archi. Officia quatuor probabiliter a totidem Ducibus provinciarum, in quas Germania divisa erat, saltem regulariter administrata sunt.
39. Probabilius quoque tum hæc Archi. Officia cæpere fieri hæreditaria, cum & ipsi Ducatus.
40. Septemviratus male negatur a quibusdam A. B. esse antiquior.
41. Male itidem ab Aventino, Ornuphrio et aliis Collegii Electoralis institutio Gregorio X. in Concilio Lugdunensi adscribitur.
42. Neque adstipulandum est in hac re sententiæ Baronii, Bellarmini, & Sfondrati.
43. Neque accedendum simpliciter iis, qui cum Conringio, Coccejo, Struvio, Pfeffingero, Maimbourg, Natali, Pagio hanc institutionem uni Interregno tribuunt, adeoque illam ab anno 1220, usque ad 1273. factam.



44. Neque dici potest cum effectu septemviros institutos a Gregorio V. & Ottone III.
45. Nos omnes has sententias conciliamus, atque hanc Conciliationem probabilius esse originem Collegii septemviralis tenemus.
46. Nullus Electorum privilegium de non appellando unquam non - usu amisit.
47. Cessat tamen in variis casibus, a quibus casum nullitatis male excludunt complures.
48. Agnatus proximus a tutela excludi potest a Patre Electore filio successori tutorem alium dando.
49. Hic Prærogativas Electorum in genere;
50. Tum singulorum interrogatus proferet.³
51. Tum Terras Electorales, quibus votum inhæret, nuncupabit.
52. Nota characteristica status Imperii est Votum & sessio.
53. Non vero sola vocatio ad Comitiam, aut relatio in matriculam.
54. Quo sensu status immediatus esse debeat, aperiet D. Def.
55. Discernendus a superioritate territoriali a statibus sensim acquisita & ipsis §. *gaudeant*. P. W. solenniter confirmata, suprematus (la souveraineté) qui ipsis proprie tribui non potest.
56. Votum Comitiale, quod olim personale, hodie reale est: in quo ratio later, quare status quidam plura territoria possidentes unum tantum votum habeant, cum alii ratione hujus mutationis plura.
57. Si territorium partim feudale, partim allodiale est, feudo votum inhære in thesi pronuntiandum est.
58. Quænam hodie requirantur, ut Princeps sive Comes in ordinem Comitiorum admittatur; item
59. An exquiri ad hoc debeat consensus civitatum Imperialium, proferet D. Def.



60. Statuum quam habent in rebus Imperii communibus, autoritatis originem;
61. Et quam habent domi potentiae, causas generales & speciales exponet D. Def.
62. Hic Ideam Potestatis territorialis D. Def. evolvat.
63. Ex hoc fonte deducet jus detractus (*Abzugsgeld und Nachsteuer*) certae partis e bonis illorum in territorium alterius status migrantium; & haereditum exterorum.
64. Nec non militum fugitivorum bona haereditaria fisco addicendi & illorum qui absque licentia ad aliena vexilla transeunt.
65. Statum Principum Ecclesiasticorum & Praelatorum;
66. Nec non Principum Saecularium & Comitum;
67. Civitatum Imperialium constitutionem, & totam earundem oeconomiam exponet.
68. Et demum sessionem statuum in Comitibus, deliberandi modum proferet D. Def.
69. Jure negant Collegia Superiora civitatibus relationem & Correlationem simultaneam.
70. Status Imperii ad Recessus in Comitibus conceptos obligantur tanquam Legibus, non tanquam meris pactis.
71. Objectum Recursus ad Comitibus sunt, quae per sequelam concernunt salutem publicam, & jura statuum omnium, non vero, quae circa jus cujusdam in particulari versantur.
72. Ad eadem tamen porro recurri potest, si gravamen oriatur ex lege dubia, remedia alia omnia sint frustranea, & assessores cujusdam supremi Dicasterii in partes eant.
73. Recursus nullis subjectus est fatalibus, nec habet effectum suspensivum.
74. Quae sit in Germania Politiae;



75. Quae rei monetariae;
76. Nec non Postarum justa ratio, D. Def. explicabit.
77. Ad hoc, ut Imperator bellum Imperii offensivum suscipiat, requiritur statuum consensus, in extrema necessitate consensus Electorum;
78. Qui & in necessitate unanimis esse debet.
79. An in bello Imperii liceat neutras partes sequi, vel extraneo aut alteri adherere;
80. An status aliquis teneatur praesidium aliorum in sua fortalitia recipere, determinabitur.
81. Quid justum sit circa pangenda foedera;
82. Quid Imperatori circa modum pangendi;
83. Quid statibus singulis inter se & cum exteris, explanabitur.
84. Judicium Imperiale aulicum in thesi concurrentem cum Camera Jurisdictionem habet.
85. Quae causae ad Cameram Imperialem;
86. Quae causae privative ad Judicium aulicum spectent, D. Def. enumerabit.
87. Status imperii privilegio de non appellando destitutus provocationem antiquare statuto non potest.
88. Num Ordinatio Judicii aulici sit Lex Imperii;
89. Num Judex Camerae voto gaudeat in pleno, sententiam dicet D. Def.
90. Revisio in Causis Religionis gaudet effectu suspensivo, non vero politicis.
91. Sicut Revisio apud Cameram, ita supplicatio ad Caesarem apud Judicium Imp. Aulicum effectum suspensivum non habet.
92. Si Reus cautionem offerat, alter autem neget, hanc esse sufficientem, Camera de hac sufficientia dijudicat.



93. **Austregarum Jus quibus competat;**
94. **Quibus in casibus hoc iudicium locum habeat;**
95. **Processus hic quomodo pertractetur;**
96. **Quomodo finiatur, declarabit D. Def.**
97. **Tabulæ politico-geographicæ exhibebuntur complectentes ordines Imperii secundum sessionem & vota in circulis.**
98. **Nec non de successione in territoriis certa Principia statuentur.**
99. **Ac demum Conditio statuum privata exponetur.**
100. **Item Nobilitatis Immediatæ prærogativæ declarabuntur.**

